

*seura nefariæ cædis dedere signa, vidisset, terram horrendo motu concussam, solis deliquium, sepulcra sponte sua patentia, mortuos excitatos, discussasque petras, exclamavit: Vere filius Dei erat iste. Renuntiatoque militiæ munere, Patriam rediit, Christum palam prædicans, ac denuncians; qui cum idcirco a Judæis ad Pilatum delatus esset, Pilatusque pecunia corruptus, rem scripsisset ad Tiberium, ejus mandato caput Longino præcisum est, & in fine Hierosolymis dejectum.*

Simeon Metaphrastes apud Surium tom.7. vult, Centurionem Judæorum gentis nationisque fuisse; ex *Synagoga Judæorum*. Petrus Natali lib.3. cap.22. Asiaticum scribit, ex Provincia Isauriæ, quam modo Natoliam appellamus; illumque Longinum nominat. *Longinus fuit quidam Centurio de Provincia Isauriæ*. Alii apud Laurentium Longum, Clericum Regularem Somaescum, Romanum dicunt, ex patritia gente Cassia, quam Longiuram cognominabant: *Longinus erat Romanus, ex Cassia gente, Longinum cognomen habens*. Donefmondus, in Mantuana Historia ecclesiastica Cæsareæ in Cappadocia natum asserit, quæ est in Asia minori.

Ex his apparet, qua veri specie loquantur illi, qui sine nomine a Calvi referuntur, quique asseverant, fuisse Brutium: *Ed altri, che Bruzio fosse, o diremo Calabrese, per esser' il primo de' Ministri di giustizia, che tutti erano Bruzii, come discorressimo nella Risoluzione 70. de' flagellatori, e crocifissori di Cristo*. Et opinionem hanc, seu verius commentum, ipsemet Calvus amplectitur, quum post pauca ad præfata verba subnectat: *così circa la patria di questo Centurione staremo coll'ultimo parere*.

Quia tamen Auctores opinionis hujusce, quam